

**Summa utriusque iuris doctoris Raymundi w edycji Commune Incliti Poloniae regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque.**

Starodruk, Biblioteka Jagiellońska, St. Dr. Cim. 8002

Odczyt: Kamil Sorka

Księga 2, rozdział 59, fol. XXIII–XXIIIv

**Substitutio. Capitulum. LIX.**

Substitutio est secundaria et conditionalis institutio. Continet enim in se constitutio substitutionem. Verbi gratia: N filium meum heredem instituo et si ipse non erit heres, quia forte prevenietur morte vel quia non vult hereditatem adire, tunc M sit heres. Dicitur autem substitutio quasi subitus vel post alium institutio. Substitutionum alia obliqua et alia directa. Obliqua est, per quam quis capit hereditatem alio mediante, ut sic dicendo: N heredem michi instituo, sed rogo eum per fidei commissum, ut statim adita hereditate restituat eam N filio meo. Directa substitutio est, per quam quis capit hereditatem nullo alio mediante, ut sic „N heredem mihi instituo et si ipse non erit heres, ut si ante aditam hereditatem decesserit, tunc M sit heres. Et illa directa dividitur in quattuor species. Est enim una vulgaris, alia pupillaris, alia exemplaris, alia brevilloqua. Vulgaris est, que a quolibet de vulgo fieri potest per verba negativa, ut verbi gratia: „N heredem mihi instituo et si ipse non erit heres, tunc M sit heres”. Pupillaris institutio est, que fit per verba affirmativa de pupillari etate et non de pubere, ut: „N meum filium impuberem mihi heredem instituo et si ipse in pupillari etate decesserit, tunc C filium meum vel nepotem meum sibi substituo. Exemplaris substitutio fit ab utroque parente filio sane mentis vel furioso vel mente capto, existenti in potestate vel non existenti, puberi vel maiori. Si tamen impubes fit furiosus, tunc providetur ei per pupillarem substitutionem tanquam pupillo, non per emancipationem tanquam furioso, ut sit potius etati quam demencie consulendum. Debet etiam testator certas personas furioso substituere. Nam si furiosus liberos habet, illos ei primo substituet. Si non habet liberos, tunc fratres eius sibi substituat. Si nec filios nec fratres, tunc substituet, quem voluerit, ut: „N filium meum furiosum mihi heredem instituo et si ipse decesserit antequam sanus sit, tunc M filius eius erit heres et si filium non habet, tunc H frater eius sit heres et si non habet fratrem, tunc B patrum suum vel alium sibi substituo”. Brevilloqua substitutio est, que sub brevibus verbis multa comprehendit, ut sic: „M et N filios meos, H et R filias meas michi heredes instituo et eos invicem substituo, ut quando[fol. XXIIIv]cumque ante pubertatem hii omnes decesserint, tunc A et B fratres meos ipsis substituo”. Differunt tamen substitutiones omnes in hoc, quia vulgaris fit a quolibet testatore et fit cuilibet vel heredi vel extraneo. Pupillaris autem fit solo parente soli filio impuberi sub potestate existenti. Exemplaris fit ab utroque parente solo filio impuberi sub potestate existenti filio furioso vel mente capto. Brevilloqua autem has omnes substitutiones in se breviter comprehendit.

[hasła: testament, ustanowienie dziedzica, warunek dziedziczenia testamentowe, substytucja, substytucja wulgarna, substytucja pospolita, substytucja pupilarna, substytucja uproszczona, nabycie spadku, osoba chora psychicznie, osoba małoletnia, emancypacja]